DECRETA

CONCILIORUM BALTIMORENSIUM.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS I.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti,

1. QUONIAM saepius a quibusdam in dubium revocatum est an competeret praesulibus Ecclesiae, in hisce Foederatis Provinciis, facultas sacerdotes in quamlibet dioeceseon suarum partem ad sacrum ministerium deputandi, eosque inde, prout in Domino judicaverint, revocandi; monemus omnes sacerdotes in hisce dioecesibus degentes, sive fuerint in iis ordinati, sive in easdem cooptati, ut memores promissionis in ordinatione emissae, non detrectent vacare cuilibet missioni ab episcopo designatae, si episcopus judicet sufficiens ad vitae decentem sustentationem subsidium illic haberi posse, idque munus viribus et valetudini sacerdotum

ipsorum convenire. Hac autem declaratione nihil innovare volumus quoad illos qui parochialia obtinerent beneficia, quorum unum tantum, scilicet in civitate Neo-Aurelia adhuc noscitur in hisce Provinciis: neque ullatenus derogare intendimus privilegiis quae Religiosis fuerint a S. Sede concessa.

2. Statuimus et declaramus quemlibet sacerdotem qui pro quacumque hujus provinciae dioecesi ordinatus fuerit, teneri vi promissionis in ordinatione factae ad permanendum in eadem dioecesi, et ad se subjiciendum praesuli suo, usquedum canonice dimissus fuerit. Statuimus quoque eadem obligatione pariter adstringi omnem sacerdotem rite cooptatum in aliquam dioecesim: cooptari autem declaramus quemlibet ex aliena dioecesi advenientem, statim ac testimoniales et dimissoriales litterae, praesulis cui proxime subditus erat munitae auctoritate, ab ipso sacerdote, Ordinario cui se subjicere velit exhibentur, et ab eodem in perpetuum acceptantur. His porro statutis obstare nolumus quin ea servari debeant, quae Benedictus XIV (Constitutione 25, Tom. 2 Bullarii sui: *Ex quo dilectus.*) luculenter docet circa sacerdotes qui ad religiosum aliquem Ordinem transire volunt.

3. Enixe hortamur praesules omnes hujus provinciae ne concedant facultates sacra munera exercendi sacerdoti aliunde venienti, nisi afferat testimoniales seu dimissoriales litteras, praesulis cui proxime subditus fuerat auctoritate firmatas: nec etiam concedant eas facultates sacerdoti hujusmodi, si absque causa sufficienti distulerit ultra sex menses praesulem eligere, cujus auctoritati et jurisdic-

tioni in perpetuum subjaceat. Hoc autem decreto nolumus derogare privilegiis a S. Sede quibusdam religiosis Societatibus, et missionariis apostolicis concessis.

4. Cum repugnet legibus et consuetudini Ecclesiae, bonoque animarum regimini, pluribus sacerdotibus simul *ex aequo* concedere auctoritatem pastoralem regendi eamdem ecclesiam, aut districtum; et cum magna nata sit confusio et discordia in hac provincia, pluribus sacerdotibus simul sibi vindicantibus hujusmodi auctoritatem pastoralem *ex aequo* exercendam, absque ulla ab alterutro dependentia: statuimus et decernimus unumquemque praesulem debere, quamprimum commode poterit, designare iis in locis in quibus plures sacerdotes forsan requirantur, unum singulorum locorum pastorem, cui adjutor unus vel plures in suo munere obeundo adsignari poterunt, prout praesuli ipsi visum fuerit. In iis vero locis in quibus specialis nulla hujusmodi dispositio a praesule facta fuerit, statuimus sacerdotem, qui post latum hoc decretum primus deputatus fuerit a praesule ad id munus obeundum, habendum esse Pastorem; alios autem sacerdotes postea deputatos, adjutores ejus habendos, donec aliter praesul ipse statuerit.

5. Cum saepius aeditui laici abusi sint jure sibi a civili potestate tributo, in magnum religionis detrimentum, non sine fidelium scandalo, optamus maxime nullam in posterum erigi ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit episcopo in cujus dioecesi erigenda est, in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit: Regularium etiam privilegiis sartis tectis

servatis, secundum ea quae a jure canonico et Romanorum Pontificum constitutionibus decreta sunt. Hoc tamen decreto nihil innovare volumus in ea ratione agendi quam in sua dioecesi Episcopus Carolopolitanus jam servat.

6. Quoniam graves ortae sunt turbae diversis temporibus in hac provincia, laicis hominibus, praesertim aedituis, sibi perperam assumentibus jus patronatus, et (quod magis mirandum est) jus institutionis ad ecclesias seu missiones, adeo ut pastores, seu missionarios sibi eligere vellent, etiam invito episcopo, eosque retinere in pastorali munere contra episcopi voluntatem; vel eos quos episcopus probaverat rejicerent, vel dimittere aggrederentur, vel muneris sui exercitium impedire, subsidiis ad vitae sustentationem subductis, seu alia quavis ratione; quorum conatibus nonnulli sacerdotes sinistros ob fines favisse aliquando noscuntur: litteris Apostolicis sac. mem. Pii PP. VIII, et Leonis XII, ac S. Congregationis responsis inhaerentes, hoc nostro decreto declaramus repugnare prorsus doctrinae et disciplinae Ecclesiae jus illud a laicis assumptum instituendi, seu dimittendi pastores; et insuper declaramus nullum jus patronatus cujuscumque generis quod sacri agnoscant canones, competere nunc alicui personae, liacorum congregationi, aedituorum coetui, seu aliis quibuscumque personis in hac provincia. Declaramus etiam stipendia, seu subsidia quaecumque, quae solent a fidelibus tribui, vel ob loca quae in ecclesiis occupant, vel ob servitium quod ecclesiis seu missionibus sacerdotes impendunt, vel ut fundus ad ecclesiam aedificandam comparetur, vel ut ecclesia extruatur (quae subsidia plerumque

tribuuntur collatitia stipe, et nulla assignata ecclesiae certa dote), nullum jus tribuere patronatus, quod a sacris canonibus agnoscatur.

7. Insuper vehementer urgemus omnes hujus provinciae praesules ut religioni, paci Ecclesiae, et sacerdotalis ordinis dignitati consulant, saltem facultates statim revocando, vel ab omni sacro munere suspendendo, quoadusque post integram poenitentiam et satisfactionem ipsis praesulibus visum in Domino fuerit, quemcumque clericum qui aliquatenus usurpationis hujusmodi fabricator, seu ei consentiens fuerit, prout a Tridentinis Patribus est statutum.

8. Praeterea, si plebs aliqua, seu congregatio, seu aedituorum coetus, seu alii quicumque aggressi fuerint aliqua ratione contra praesulis voluntatem in ecclesia quacumque retinere sacerdotem aliquem qui a praesule non fuerit approbatus, vel cujus facultates fuerint ablatae, vel qui suspensus fuerit (quamdiu non fuerit a legitimo Superiore rehabilitatus); vel si congregatio illa, seu aedituorum coetus molestiam inferat in suo munere obeundo alicui sacerdoti secrum munus exercenti cum praesulis approbatione, aut subducat vel retineat consuetum subsidium ad illius sustentationem; praesules urgemus omnino ut tum demum interdicant ipsorum ecclesiam (quoadusque tanto malo remedium afferatur), cum cetera omnia remedia inutilia esse appareat. Hortamur etiam omnes praesules in hac provincia, ut saepe saepius administratoribus rerum temporalium quae ad ecclesiasticos et pios usus destinantur, proponant et inculcent, et executioni demandari curent quae a

concilio Tridentino in hanc rem sunt sanctissime decreta. (Sess. 22, cap. 11 de Ref.)

9. Cum sacrarum Scripturarum depositi, a Domino Ecclesiae commissi, fidelis custodia ab episcopis requirat ut totis viribus adnitantur ne verbum Dei, hominum fraude vel incuria adulteratum fidelibus praebeatur, omnes hujus provinciae animarum pastores vehementer hortamur, ut ea omnia quae in re tanti momenti a S. conc. Trid. decreta, a Summis Pontificibus, praesertim a Leone XII, et a Pio VIII fel. rec. in suis litteris Encyclicis commendata, atque ab Illmo. ac Revmo. Joanne Carroll, Archiepiscopo Baltimorensi, una cum episcopis aliis hujus provinciae, in conventu habito anno 1810 statuta fuerunt, semper prae oculis habeant: biblia ab acatholicis vitiata a suis ovibus arceant, et nonnisi ex probatis versionibus atque editionibus, verbi Dei pabulum incorruptum illis desumere permittant. Statuimus igitur ut Duacensis versio, quae in omnibus ecclesiis quarum fideles anglice loquuntur recepta, et a praedecessoribus nostris usui fidelium merito proposita est, omnino retineatur. Curabunt autem episcopi ut, juxta exemplar probatissimum ab ipsis designandum, omnes tum novi, tum veteris Testamenti Duacensis versionis editiones in posterum emendatissime fiant, cum adnotationibus quae ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris tantum desumptae sint.

10. Cum vehementer optemus ut, quatenus fieri poterit, per totam nostram provinciam accurate serventur quae salubriter in Rituali Romano praescripta sunt, utpote quae venerandae antiquitatis

exemplo, et Apostolicae Sedis nituntur auctoritate; et ut tollantur abusus, seu suppleantur omissiones ortae ex priorum temporum difficultatibus; injungimus omnibus sacerdotibus in hac provincia degentibus, ut studeant Ritualis regulas accurate servare. Eum in finem quaedam inde desumpta in memoriam revocamus.

11. "Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac sacramento confirmationis consignatos esse maxime convenit. Sciant praeterea parochi (quod et de sacerdotibus omnibus qui baptismum administrant intelligendum est) ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut haereticos; non publice excommunicatos, aut interdictos; non publice criminosos, aut infames; nec praeterea, qui sana mente non sunt; nec qui ignorant rudimenta fidei: haec enim patrini spirituales filios suos quos de baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.—(Rit. Rom.")

12. De nominibus in baptismo imponendis praescribit Rituale: "Quoniam iis qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur; curet (sacerdos) ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur."

13. Quando diversa tum Sanctorum, tum familiae nomina in baptismo infantibus tribuuntur, si sacerdos censuerit expedire, in prima interrogatione omnia nomina exprimat; in sequentibus tamen formis

et precibus, nomina vulgo dicta christiana tantum repetat. In libro autem baptismatum, omnia nomina recenseantur.

14. Missionariis, juxta Ritualis Romani praescriptum, et praedecessorum nostrorum decreta, injungimus, ut in suis eeclesiis libros habeant in quibus referant baptismata, confirmationes, matrimonia et sepulturas; eosque Ordinario in sua visitatione exhibeant.

15. Meminerint etiam missionarii Rituale Romanum, et universalem Ecclesiae consuetudinem exigere ut aqua, in baptismo adhibita, fuerit benedicta in eum finem, vel sabbato sancto Paschae, vel sabbato Pentecostes, vel alio saltem tempore ante baptismi administrationem, forma in ipso Rituali praescripta. Curandum iis idcirco, ut fontes baptismales, *sub clavi*, in unaquaque ecclesia, ubi baptismi sacramentum ordinarie ministratur, quamprimum erigantur; prope quos, omnia quae ad administrationem hujus sacramenti pertinent, nitide serventur.

16. Ex praeteritorum temporum difficultate, invaluit in his regionibus consuetudo baptismum privatis in domibus administrandi. Cum igitur magnae gravitatis sit generalem legem in illis regionibus servandam statim ferre, cui contraria est consuetudo; etsi censemus curandum esse, quoad fieri potest, ut hoc sacramentum in ecclesia conferatur, tamen episcoporum et missionariorum judicio relinquimus, ut statuant quando sint urgendi fideles ut infantes ad ecclesiam deferant, ut baptismus iis conferatur.

17. Censemus infantes acatholicorum, quos ipsi

parentes afferunt, baptizandos quoties probabilis affulget spes catholicae eorum educationis. Curandum autem omnino est ut patrinus, vel matrina, iique catholici, habeantur. Meminerit autem sacerdos, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere.

18. Optant praesules hujus provinciae ut benedictio mulieris post partum, non promiscue, atque nulla ratione habita puerperae dispositionis, neque extra ecclesiam, vel locum ubi sacrum fit, in posterum conferatur.

19. Statuimus, juxta Ritualis Romani praescriptum, in sacramentis administrandis, et in defunctorum sepultura, sacerdotes omnino teneri ad adhibendam linguam latinam: et si censuerint expedire, explicationis causa, eorum quae recitant adjungere versionem lingua vernacula, eam tantum versionem adhibendam esse, quae fuerit ab Ordinario sancita. Ubicumque autem consuetudo aliqua invaluerit huic decreto adversa, eam quamprimum abrogandam statuimus.

20. Statuimus confirmationis sacramentum administrandum esse nemini minori septennio, nisi ob peculiares rationes, v. g. in mortis periculo.

21. Quandocumque confirmatio plurimis administratur, statuimus schedulas quasdam, quibus nomina eorum qui confirmandi sunt inscribantur, a pastore unicuique dandas, quas episcopo sacramentum administraturo exhibeant.

22. Statuimus sacerdoti nulli, vi facultatum generalium sibi concessarum celebrandi in quocumque

loco decenti, licere missam celebrare in aedibus privatis, nisi in stationibus, et in iis aedibus quas Ordinarius designaverit; aut dum actu missionis exercitiis, procul ab aliqua ecclesia, dat operam. Quod si Ordinarii alias concedant licentiam celebrandi in privatis aedibus ob speciales circumstantias, iis commendamus eam pro una tantum vel altera vice concedere.

23. In divino sacrificio celebrando detur opera diligenter, ut omnia altarium ornamenta, et sacra vasa sint munda; non foeda corporalia, vel purificatoria; non vestes lacerae, vel indecentes; indusia vero privati apparatus sub amictu et alba lateant, ita ut non indecoro, vel mundano more appareant; nec quidquam altari tremendo, vel sacramentorum administratione indignum sit.

24. Vehementer hortamur praesules, ut omni studio curent confessionalia erigenda in omnibus ecclesiis publicis hujus provinciae: et, cum erecta fuerint, nemini sacerdotum licebit confessiones mulierum alio in loco excipere, sine speciali Ordinarii licentia. Hanc vero numquam concedendam confidimus, praeterquam sacerdotibus aetate provectis, vel infirmis, vel ob poenitentes surdas; vel aliis in casibus, in quibus ex hujus regulae observantia gravia orirentur incommoda. Eam etiam conditionem semper adjiciendam volumus, ut nunquam confessiones mulierum in privatis aedibus, nisi per crates interpositas, et in loco patenti, quantum per loci rationem licebit, excipiantur.

25. Pastores animarum monemus ut, sui officii memores, omnem adhibeant sollicitudinem ad rite disponendos fideles qui sacramentum matrimonii

suscipere velint; nec se peccato immunes existiment, si temere quoslibet manifeste indignos jungant. Revocent igitur fidelibus in memoriam Tridentini concilii sapientissima hac in re monita, eaque servari curent. Ea etiam omnia quae a praedecessoribus nostris in synodo et conventu antehac habitis, juxta S. Sedis et Conciliorum probatorum auctoritatem sancita sunt, sedulo sequantur, pro prudente religionis studio, Ordinarii uniuscujusque in sua dioecesi statutis et jussis semper prae oculis habitis.

26. Sacerdotibus omnibus curandum est ut veste talari et superpelliceo in omni sacro munere obeundo utantur. Iis etiam vehementer commendamus ut vestem talarem constanter, quatenus fieri possit, gerant: quod si eam induere peculiaria rerum adjuncta non sinant, ipsis omnino injungimus iis tantum uti vestibus quae suo congruant ordini, scilicet, quae nigri sint coloris, et omni inani ornatu careant, sintque ab omni mundana vanitate prorsus alienae.

27. Evitent diligenter sacerdotes omnem illicitum ludum: atque etiam ab omnibus quibuscumque ludis abstineant, etsi in animi diversionem, qui scandalo esse possint.

28. Sacerdotes omnes, quibus cura animarum commissa est, monemus muneris quod sibi incumbit populum sibi creditum edocendi; ideoque juxta Tridentini concilii sancta statuta, dominicis festisque diebus, brevi perspicuoque sermone, audientium captui accommodato, eos fidei mysteriis instruant, et ad virtutum exercitium et ad vitia fugienda hortentur. Curent etiam ut, juxta ejusdem synodi statuta, pueri

rudes iisdem diebus, aliisve opportunis temporibus, rudimenta fidei edoceantur; nec omittant ipsi pastores ea familiari sermone explicare.

29. Praesules hortamur maximopere, ut omnes sacerdotes saepius moneant sui officii munerum; et ad quotidianam meditationem, annuos recessus, collationes spirituales, gratiarum actiones post missam, aliaque pietatis exercitia, prout sinunt cujuslibet dioecesis circumstantiae, excitent.

30. Quoniam maxime desiderantur libri anglice conscripti, qui de sacris ritibus tractent, statuimus librum caeremoniarum, qui Rituali Romano sit conformis, et S. Sedis judicio subjiciendus, ex probatis operibus componendum, ut sacerdotes clericique omnes per hanc provinciam accurate calleant et servent ritus Ecclesiae universalis. Ei autem praemitti volumus explicationem eorumdem rituum, ut fideles sacris functionibus adsistere possint majori sensu et aedificatione.

31. Quoniam uniformitas etiam in rebus minimis maxime optanda Ecclesiae semper visa est, statuimus superpelliceum esse debere modestum, decorum, et sacris functionibus conveniens. Statuimus etiam ut biretum, cum episcopis singulis visum fuerit morem illud gestandi in suas dioeceses inducere, Romano bireto sit conforme.

32. Quoniam multa incommoda jam orta sunt, et in posterum oritura videntur ex eo quod in diversis hujus provinciae dioecesibus diversi catechismi et libri precum adhibeantur, privata auctoritate editi, et quoniam uniformitas in iis maxime optanda est; curent episcopi ut illi tantum catecheseos libri usur-

pentur, qui cum eorum approbatione editi fuerint, aliis quibuscumque postpositis. Dabitur autem opera ut catechismus componatur, qui circumstantiis hujus provinciae magis accommodatus, catholicam doctrinam in catechismo Cardinalis Bellarmini expositam tradat, quique, post Sedis Apostolicae approbationem, edetur in communem catholicorum usum.* Moneant insuper fideles ut a precum libellis, qui sine Ordinarii approbatione a privatis quibuscumque in lucem editi circumferuntur, abstineant.

33. Quoniam quamplurimos adolescentes ex catholicis parentibus praesertim pauperibus ortos, in multis provinciae hujus locis expositos esse, et adhuc exponi constat magno fidei amittendae periculo, vel morum corruptelae, ob inopiam talium magistrorum quibus tantum munus tuto committi possit; necessarium omnino censemus ut scholae instituantur, in quibus juvenes edoceantur fidei morumque principia, dum litteris imbuuntur.

34. Cum non raro plura reperiantur in libris qui in scholis plerumque adhibentur, quibus principia fidei nostrae impugnantur, dogmata nostra perperam exponuntur, et ipsa historia pervertitur, qua ratione puerorum animi erroribus imbuuntur, in animarum damnum gravissimum; postulat tum religionis studium, tum juventutis recta educatio, et ipsum Foederatae Americae decus, remedium aliquod tanto malo afferri. Ea de causa statuimus quam-

---

* In Concilio Plenario, anno 1852 habito, munus datum est quibusdam Concilii Patribus Catechismum tam anglica quam germanica lingua conscribendi, qui per omnes dioeceses usu veniret.

primum edendos in scholarum usum, erroribus omnino expurgatos, atque judicio episcoporum approbatos libros, quibus nihil contineatur quod catholicae fidei odium vel invidiam parere possit. (Vid. num. 32, et alios ibi citatos.)

35. Insuper, sapientissimis monitis Summi Pontificis Leonis XII fel. mem. ad Archiepiscopum Baltimorensem directis obsequentes, statuimus societatem quamdam ad disseminandos libros catholicos instituendam, quae ex praelatis hujus provinciae, et aliis quos sibi adsciscant, constet.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS II.

36. REVMIS Episcopis S. Ludovici et Bostoniensi munus a Patribus demandatum est concinnandi, et hujus concilii nomine et auctoritate in lucem edendi Ritualis Romani accuratam editionem, necnon ejusdem breve exemplar in usum missionariorum; atque utrisque editionibus, in modum appendicis, adjungendi modificationes hucusque a S. Sede concessas, una cum versione, vernacula lingua, eorum quae praedictis praesulibus vertenda esse visa fuerint.

37. Episcopis commendant Patres ut omni studio curent seminaria in suis dioecesibus, juxta Tridentinorum Patrum decreta, erigere; eamque, quatenus locorum adjuncta patiuntur, in omnibus sequi formam, quam ipsi Tridentini Patres praescribunt:

fidelium autem studium saepius episcoporum hortationibns accendendum duxerunt, ut eleemosynam in opus adeo Eccleiae profectui necessarium liberaliter conferant.

38. Visum est Patribus munus seligendi, componendi vel corrigendi libros in catholicorum collegiorum et scholarum praesertim usum, et ut ab omni errore contra fidem expurgati in lucem edantur curandi, committere Praesidibus, pro tempore existentibus, trium collegiorum in Archidioecesi Baltimorensi, nempe S. Mariae Baltimorensis, S. Mariae apud Montes, et collegii Georgiopolitani. Sanxerunt etiam Patres ut hi libri cum approbatione duorum saltem ex Praesidibus praedictorum collegiorum, atque ex auctoritate Archiepiscopi Baltimorensis, typis mandentur; operam omnem se adhibituros pollicentes ut in collegiis, scholis, et ubique apud fideles, recipiantur.

39. Ne vagi, ignoti, pravique sacerdotes sacra aggrediantur munera cum offensione fidelium, revocandas esse facultates, quas communi quodam pacto episcopi sibi invicem in conventu anno 1810 habito largiti sunt, consuerunt Patres: ideoque in posterum, neminem ex sacerdotibus, vi illius pacti, posse jurisdictionem exercere, vel sacrum aliquod aggredi munus, absque Ordinarii auctoritate.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS III.

40. CUM ex Apostolico indulto consueverint plerumque clerici saeculares ordinari, in his Foederatis Provinciis titulo missionis, monemus episcopos ut eos tantum eo titulo ad sacros ordines evehant, qui idonei sacris missionibus videantur, vel alias religionis profectui, episcopi judicio, inservituri, emisso prius jurejurando se perpetuo missioni, cui deputantur, operam daturos.*

41. Ne sacerdotes, cum sacri ordinis dedecore, mendicare, vel egestatem pati cogantur, episcopos hortamur, ut fideles moneant muneris quo tenentur, eis praecipue qui in verbo et doctrina laborant, congruam sustentationem suppeditare. Quod si aegritudine, vel casu aliquo jam non valeant sacris fungi muneribus, ne afflictis addatur afflictio, curent ut ea subsidia quae necessaria judicaverint, ipsis a fidelibus quibus inservierint subministrentur. Si autem congregatio, cui inservierit sacerdos aegrotus vel alias impeditus, fuerit adeo inops ut nequeat hujusmodi subsidia suppeditare, episcopos hortamur ut, ea qua fieri possit ratione, aliorum sacerdotum et fidelium charitatem ad iis succurrendum excitent. Cupimus autem maxime ut in singulis dioecesibus, episcopi, quamprimum commode potuerint, sacerdotum ipsorum adhibito consilio et opera,

---

* Pius PP. IX, die 3 Octobris 1862, benigne concessit singulis Foederatarum Provinciarum episcopis facultatem, a die prima Januarii 1852 ad quinquennium duraturam, promovendi clericos titulo missionis ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive.

certum quemdam modum et stabilem statuant, quo infirmis, vel aetate provectis, vel alias impeditis, provideatur. Indignis autem sacerdotibus, vel qui legitimae suorum episcoporum auctoritati repugnaverint, vel qui aes ad fundum hujusmodi generalem conferre recusaverint, hoc decretum prodesse nolumus.

42. Caeremoniale editum juxta concilii Baltimorensis Provincialis primi decretum, in omnibus Provinciis Foederatis servandum volumus, ut rituum uniformitas ubique vigeat, et in omnibus S. Romanae Ecclesiae consuetudines aemulemur.

43. Ne fidelium pia voluntas suo fraudetur effectu, et quae Deo dicaverint in Ecclesiae utilitatem, ad alios transferantur usus, monemus episcopos, sacerdotes et alios omnes, penes quos bona sunt mobilia vel immobilia ad ecclesiasticos usus data, ut, ea quae in singulis Foederatis Provinciis tutissima videbitur ratione, quamprimum curent ea, juxta leges civiles, usibus a donatoribus designatis servanda. Quod si quis clericorum, vel laicorum, hujusmodi bona a designatis usibus contra donatorum voluntatem averterit, se in poenas a concilio Tridentino latas (Sess. XXII, cap. XI, de Ref.) incurrere noverit.

44. Placuit ut Rituale edatur Romano conforme, adjectis in appendice quae ad aedificationem fidelium conducere visa fuerint, quod Baltimori edatur, auctoritate Revmi. Archiepiscopi, et ubique per Foederatas Provincias servetur. Ne autem peculiares ritus cujusque arbitrio inducantur, districte vetamus ne sacerdotes a forma sibi in Rituali prae-

scripta, consuetudinis obtentu vel alio quocumque praetextu, discedant.

45. Cum grave fidelibus oriatur scandalum, et ecclesiastico ordini dedecus, dum causae ecclesiasticae ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias inter eos forte orituras de rebus vel personis ecclesiasticis, amice componant, vel saltem judicio episcopi submittant. Quod si ecclesiastica vel religiosa utriusque sexus persona, aliam personam ecclesiasticam vel religiosam utriusque sexus, coram civili tribunali temere citaverit de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere.

46. Cum ex sacerdotum vagorum et ignotorum discursu ad eleemosynas a fidelibus colligendas gravia oriantur incommoda, visum est districte prohibere ne sacerdos aliquis, absque episcopi sui venia, scripto concessa, extra congregationem sibi commissam eleemosynas petat, vel in alia dioecesi absque Ordinarii licentia. Quod si sacerdos aliquis hanc legem transgredi praesumpserit, hortamur episcopos ut suspensionis censura eum statim innodent. Religiosi autem meminerint sui Superioris licentiam secum afferre.

47. Ut omnia juxta ordinem fiant, et solemnes Ecclesiae ritus integri serventur, monemus rectores ecclesiarum ut sedulo invigilent ad abusus eliminandos qui in cantu ecclesiastico in his regionibus invaluerunt. Curent igitur ut sacrosancto missae sacrificio et aliis divinis officiis musica, non vero musicae divina officia inserviant. Noverint, juxta Ecclesiae ritum, carmina vernaculo idiomate, inter

missarum solemnia, vel vesperas solemnes, decantare non licere.

48. Visum est S. Sedi humillimas porrigere preces, ut habita ratione gravissimarum quibus subjacent difficultatum fideles in his Provinciis inter acatholicos degentes, obligatio, quae in plerisque dioecesibus viget, servandi feriam secundam Paschatis et Pentecostes, tanquam dies festos, auctoritate Apostolica tollatur; ita ut jam non teneantur missam audire, vel ab operibus servilibus abstinere.*

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS IV.

49. SACERDOTIBUS omnibus hujus provinciae in memoriam revocamus, antiqua Ecclesiae lege quam SS. Pontifices non desierunt inculcare, vetari matrimonia catholicorum cum acatholicis, cum sanctitas sacramenti postulet ut uterque fide et aliis animi dispositionibus gratiae sacramenti suscipiendae idoneus sit, et plura graviaque incommoda et mala hujusmodi connubiis saepe sequantur, nempe discordia domestica, et catholicae partis et prolis perversio.

Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant ex auctoritate Apostolica ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut conscientiae securitati et

---

* Gregorius PP. XVI, ven. mem. die 3 Julii 1837, super memorati utriusque diei festi observatione dispensavit.

libero religionis exercitio a catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide catholica educationi, solemni coram Deo promissione iis de rebus emissa; secus, nullatenus licebit sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper sacerdotes pluribus SS. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum foedera hujusmodi ineuntur, quae neque intra ecclesiam ineunda sunt.

50. Nihil innovantes in his quae in canone concilii Provincialis primi Baltimorensis de potestate episcopi in pastoribus designandis et amovendis, necnon firmare volentes quae in canone ejusdem synodi declarata fuere de unico pastore in singulis congregationibus designando, declaramus pastori soli ita designato competere administrationem ecclesiae seu congregationis, atque aliis sacerdotibus illi in ministerii adjutorium adjunctis non licere aliquid aggredi praeter pastoris voluntatem.

51. Ne turpis lucri cupido sacerdotalem inficiat ordinem, vel aliqua oriatur inter sacerdotes simul commorantes dissensio, propter eleemosynas quas fideles occasione sacramentorum baptismi vel matrimonii administrationis sponte conferunt, monemus episcopos ut in prima sua synodo dioecesana, vel alias, prout illis in Domino visum fuerit, consilio sacerdotum etiam adhibito, justam statuant rationem qua inter sacerdotes simul ita commorantes distribuantur, potioris juris et graviorum onerum pastoris non neglecta consideratione.

52. Dominici festorumque dierum sanctificationem iterum atque iterum populis suae curae commissis pastores commendare modis omnibus cura-

bunt, verbi Dei praedicatione, catechesibus, aliisque pietatis christianae publicis exercitiis. Moneant frequenter oves suas de vitandis cauponis, et caupones a sacramentis arceant qui potantium excessus fovent, praesertim diebus dominicis.

53. Cum immania scandala ex nimia potatione oriantur, hortamur pastores, et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Eum in finem, laudandum censemus eorum fidelium zelum, qui ab omni liquore ardenti se abstinent ad excessuum periculum tutius declinandum. Qui autem sponte societatem inter se ineunt ut mutuis virtutum exemplis sese adjuvent ac roborent, imprimis adhibere debent subsidia illa quae Christus Dominus in Ecclesia reliquit, quibus vitia humana emendentur, et infirmitas sustentetur; atque oratione, sacramentorum frequenti susceptione, aliisque pietatis exercitiis, auxilium supernum sibi comparare, nec sibi, nec suis propositis, sed Deo sine quo nihil prodest humanus conatus, fidere.

54. Cum constet publicae educationis rationem plerisque in his Provinciis ita iniri, ut haeresibus inserviat, puerorum catholicorum mentibus sensim sine sensu falsis sectarum principiis imbutis, monemus pastores ut omni quo valent studio catholicorum puerorum christianae et catholicae educationi prospiciant, et diligenter invigilent ne versione protestantica bibliorum utantur, vel sectarum cantica aut preces recitent. Ideo invigilandum erit, ne in publicas scholas libri vel exercitia hujusmodi introducantur, cum fidei pietatisque discrimine. Con-

stanter autem et moderate hisce sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum qui auctoritate valent opportunum adhibere remedium implorato auxilio.

55. Propter gravissimas rationes vetuerunt SS. Pontifices ne fideles secretas Societates quovis nomine nuncupatas ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam foedera hujusmodi clanculum inita, mali suspicionem et periculum prae se ferunt, et jusjurandum temere adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes neminem posse absolutione sacramentali donari, nisi ab hujusmodi Societatibus prorsus recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus fideles omnes, ut occulta illa foedera omnino declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et Ecclesiae quae mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare, juxta sanctissima et divina illa documenta quae Christus Dominus tradidit.

56. Praesules omnes monemus ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant omni qua valent ratione, ideoque legum seu auctoritatis civilis praesidium quaerant, ubicumque haberi possit, salvo tamen libero episcoporum jure. Quod si nequeant illud obtinere, saltem testamento juxta legis dispositiones scite facto, cujus duplicatum habeant, caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa a suis finibus avertantur. Habeant etiam bonorum ecclesiasticorum inventarium, et instrumenta omnia et titulos rite disposita. Et si contigerit eos extra dioecesim versari, litteras procurationis apud quemdam virum probatum relinquant, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare. Monemus insuper

episcopos ne sinant sacerdotes penes se retinere suo nomine quae a fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt, eorumque fidei commissa.

57. Commendamus episcopis libros habere in quibus accurate recenseantur ordinationes, clericorum ex aliis dioecesibus in suas cooptationes, designationes pastorum, tituli ecclesiarum, aliaque omnia quae ad statum ecclesiasticum respiciunt.

58. Admonet Synodus clericos omnes in sortem Domini vocatos, ut semper memores sint nihil esse quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic studeant vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant. Levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Abstineant a luxu et pompa vestium, a mundanarum personarum societate, a comessationibus, potationibus, illicitisque lusibus et venationibus, ac demum quibuscumque omnibus clericali statu indignis, necnon saecularibus negotiis. Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi talis aetatis et probatae virtutis, de quibus nulla possit haberi suspicio. Fiant igitur forma gregis ex animo; sint exemplum fidelium in verbo,

in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; sint sobrii, prudentes, ornati, pudici, modesti; conversationem suam inter gentes habentes bonam, ut bene facientes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam, et obstruatur os loquentium iniqua. Sic autem pastores vigilent super gregem sibi commissum, non coacte, sed spontanee, secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; sic illum pascant et regant sedula in suis ecclesiis residentia, verbi divini praedicatione, puerorum et ignorantium instructione, sacramentorum administratione, pia sacrificii oblatione, paterna infirmorum et pauperum cura, omniumque bonorum exemplo, ut cum apparuerit Princeps pastorum, ab ipso percipiant immarcescibilem gloriae coronam.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS V.

59. PERPENSO decreto S. Congregationis de bonis temporalibus Ecclesiae, Patres animum maxime propensum ad mentem S. Sedis in omnibus sequendam ostenderunt, sed censuerunt speciales leges Statuum singulorum, locorumque adjuncta, gravia afferre incommoda decreti executioni; singulorum tamen episcoporum conscientiam onerandam esse, ut testamento, vel alio instrumento, consulant securitati bonorum ecclesiasticorum quae penes se sunt: quorum testamentorum duplicatum

exemplar apud archiepiscopum deponant, archiepiscopus autem apud seniorem episcopum, intra tres menses a sua consecratione: quod si neglexerit episcopus aliquis, monebit eum officii archiepiscopus, eumque diu cessantem ad S. Congregationem deferet. Idcirco orant Patres ut S. Sedes dignetur decreti rigorem hac ratione mitigare.

60. Statutum est ne laicis personis unquam permittatur verba ad populum facere in ecclesiis, sine Ordinarii licentia, postquam consecratae, vel tantum benedictae fuerunt.

61. Cum lege divina vetitum sit homini separare quos Deus conjunxit, monemus episcopus ut in suis synodis sub poena excommunicationis *ipso facto*, prohibeant iis qui divortio civili sejuncti sunt, ne ad nova transeant vota, legitimo vinculo posthabito.

62. Censuerunt Patres haud expedire decretum Tridentinum de clandestino matrimonio ad alias paroecias dioeceseos Detroitensis, extra ipsam civitatem, adhuc extendere; nec ad alias dioeceses Americae Foederatae, praeter eas in quibus jam noscitur promulgatum: et orandam esse S. Sedem ut dispenset quoad ipsam civitatem Detroitensem.

63. Praesules omnes hujus provinciae in Domino monemus, ut invigilent executioni eorum quae a S. Tridentina synodo decreta sunt de pastorum residentia, curentque ne populus fidelis careat copia missae audiendae in diebus praesertim dominicis et festis; vel aegrotantes, subsidio sacramentorum: et in synodis suis poenas statuant in eos qui absque gravi causa vel licentia abfuerint.

64. Monemus episcopos ut invigilent ne sacerdo-

tes, vel ecclesiis temere erigendis aut reparandis, vel alia ratione, aere alieno contrahendo, res ecclesiae onerent, aut fidem fallant cum religionis dedecore: ideo exigant rerum rationem saltem quotannis, nec sinant eos aes alienum absque licentia scripto data, ecclesiae nomine vel causa, contrahere.

65. Moneantur sacerdotes ne res suas rebus ecclesiae immisceant, cum famae suae discrimine, vel offensione fidelium, qu injuriam fieri ecclesiae facile existimant. Idcirco habeant librum quo res omnes ecclesiae recenseantur; et si ipsi pecuniam in ecclesiae usum contulerint, id fiat probante episcopo, et cum virorum fide dignorum notitia, et in libro referatur, ut episcopus visitationem habens possit singula inspicere, et jura omnium tueri.

66. Patres unanimi voce probarunt Rituale Romanum editum auctoritate conciliorum Provincialium secundi et quarti, curante Episcopo S. Ludovici, sed permiserunt ut appendix fieret amplior, precibus quibusdam vernacula lingua redditis, judicio Archiepiscopi, prout in concilio quarto decretum est. Districte tamen praeceperunt sacerdotibus omnibus latinam formam precum nunquam omittere.

67. Confessionalia in ecclesiis erigenda, pro mulierum confessionibus excipiendis, decrevit concilium primum Baltimorense, quod districte servandum omnino est. Ecclesiae autem nomine, ad confessiones audiendas, sacristia non est intelligenda, nisi locus sit publicus et patens.

68. Juxta praescriptum et mentem Ritualis Romani, sedulus sit pastor animarum in visitandis in-

firmis et agonizantibus, etiam postquam ultima receperunt sacramenta; et illos exhortetur, consoletur, adjuvet; et elicito ab iis, si possint, novo confessionis et contritionis actu, nova identidem donet absolutione.

Sit pariter assiduus in praedicatione verbi divini, juxta modum quem concilium Tridentinum praescribit (Sess. V. cap. 2 de Ref.) scilicet, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et eorum capacitate, pascat salutaribus verbis; docendo non vana vel intricata, sed quae scire omnibus necessarium est ad salutem; non quae admirationem erga loquentem provocent, sed quae ipsorum audientium aedificationem, et pietatis incrementum promoveant, v. g. motiva et frequentem praxim actuum fidei, spei, charitatis et contritionis; dispositiones requisitas ad sacramenta utiliter recipienda; vitia quae declinare, et virtutes quas sectari oporteat; det lac spirituale infantibus, adultis autem pietate solidum cibum; in sermone, sicut in opere, fiat omnia omnibus, ut animos rite dirigat in via salutis, omnesque poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS VI.

69. PATRES, ardentibus votis, plausu, consensuque unanimi, B. MARIAM VIRGINEM SINE LABE CONCEPTAM in Patronam Americae Foederatae Statuum elegerunt; nulla tamen inducta obligatione audiendi missam et a servilibus operibus abstinendi in ipso festo Conceptionis B. Mariae: atque ideo Summo Pontifici humiliter supplicandum ut solemnitas, nisi festum in dominicam inciderit, transferatur in dominicam proxime sequentem, in qua missae, tam privatae quam solemnes, de festo illo translato celebrentur, vespertinumque officium de eodem recitetur.*

70. Censuerunt Patres orandum esse S. Sedem ut declarationem edat pro Statibus Americae Septentrionalis Foederatis, qua statuatur clericos in sacris, ordinatos titulo missionis, et dioecesibus hisce addictos, non posse absque Ordinarii sui licentia in scripto data, religiosum Ordinem ingredi, prout jam episcopis Vincennensi et Ludovicopolitano S. Congregatio rescripsit.†

71. Censuerunt Patres optandum esse ut, statim atque Ordinario uniuscujusque dioecesis utile visum fuerit, proclamationes quae banna vocari solent, ha-

---

* Sanctitas Sua Pius PP. IX benigne in omnibus annuit juxta petita, die 7 Februarii 1847.

† In epistola Emi Praefecti de Propaganda fide ad Archiepiscopum Baltimorensem die 23 Oct. 1852 scripta, inter cetera haec habentur: "Innotuit pariter aliquando evenire ut, absque licentia Episcopi, presbyteri missionibus addicti Ordines Regulares in-

beantur et fiant ante celebrationem matrimoniorum, justa mentem conciliorum Lateranensis et Tridentini.

72. Statutum est stricte inhibendos esse pastores animarum ab administratione sacramentorum matrimonii et baptismi fidelibus ex aliis dioecesibus, qui ea a proprio pastore facile recipere possent.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS VII.

73. PERLECTIS litteris Encyclicis Summi Pontificis Pii IX, quibus significavit se vehementer optare ut episcopi totius catholici orbis per litteras ipsi referrent qua devotione clerus populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sint animati; Patribus omnibus visum est respondere clerum populumque fidelem, in Foederatis Americae Statibus, magna flagare erga eamdem devotione.

74. Censuerunt pariter Patres Summo Pontifici significandum, gratum sibi fore ut veluti catholicae Ecclesiae doctrinam definiat, si id sapientissimo suo

---

grediantur, unde gravissimum isthic oriri solet detrimentum ob sacerdotum penuriam. . . . . Non est praetereundum inter decreta Concilii sexti Baltimorensis peculiariter fuisse provisum quoad presbyteros qui regulare aliquod institutum ingredi velint, ut nimirum proprii Episcopi veniam assequi debeant: cumque decretum illud probatum cum reliquis fuerit, deligenter erit servandum."

judicio opportunum existimet, Beatissimae Virginis Mariae conceptum Immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.

75. Statuerunt Patres ecclesias omnes, ceteraque bona ecclesiastica, quae vel dono, vel fidelium oblationibus acquisita, in charitatis vel religionis operibus sunt impendenda, ad Ordinarium pertinere; nisi appareat, scriptoque constet, illa Ordini alicui regulari, vel sacerdotum Congregationi, in ipsorum usum tradita fuisse. (Vid. num. 7, et alios ibi citatos.)

76. Statuunt Patres nullum harum Provinciarum sacerdotem, ad aliam dioecesim transire volentem, a proprio episcopo dimittendum, nisi certo constet eum ab alio episcopo esse recipiendum. Si qui autem in posterum aliter dimissi fuerint, non recipiantur.

77. Stricte prohibemus ne sacerdotes matrimoniis eorum qui jam ab acatholico ministro vel conjuncti sunt, vel conjungi volunt, interesse praesumant.



DECRETA

CONCILII PLENARII.

78. PATRES hujus concilii plenarii, ex omnibus Statibus Foederatis Americae Septentrionalis congregati, praeside Archiepiscopo Baltimorensi tanquam Apostolicae Sedis Delegato, summum quo Sedem Apostolicam Romanam prosequuntur

obsequium profitentur: agnoscunt quippe, juxta defininitionem in concilio Florentino promulgatam, Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro JESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse. Beatissimum igitur Pontificem PIUM IX, caput totius episcopatus agnoscunt divino jure constitutum, ejusque esse fratres in fide confirmare, cum unus sit omnium pastor.

Doctrinam insuper, quam ab Apostolis traditam in Ecclesia Romana constat semper esse servatam per episcoporum successionem, profitentur integram, prout in conciliorum oecumenicorum, praesertim Tridentini decretis, et in Summorum Pontificum constitutionibus explicata est.

79. Quae in septem conciliis Baltimorensibus decreta sunt, ad omnes dioeceses Foederatorum Statuum, et regionum omnium generali Gubernio subditarum, extendi statuimus, eaque ibi vim obtinere.

80. Rituale Romanum, jam adoptatum a concilio primo Baltimorensi, accurate servandum in sacris muneribus peragendis ubique in dioecesibus Statuum Foederatorum decernimus, vetantes districte ne consuetudines ritusve a Romanis alieni introducantur. Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in coemeteriis sectarum; vel etiam in coemeteriis profanis, quando adsunt coemeteria catholica.

81. Manuale caerimoniarum et librum caermonialem, jussu concilii Baltimorensis primi praeparata, et Gregorio PP. XVI, fel. me. probata, quae emendatiori stylo iterum in lucem edita sunt, praemissa etiam rituum explicatione, ubique per omnes Foederatos Status adhibenda statuimus.

82. Monitos volumus praesules omnes qui aliqua ex causa e suis dioecesibus ad tempus recedunt, "legitimae absentiae causas, (juxta Tridentini concilii decretum, Sess. XXIII, cap. 1, de Ref.) a Beatissimo Romano Pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere." Quae Tridentini Patres de absentia propter munus publicum addiderunt, recitanda haud duximus, cum hisce in regionibus nullum hujusmodi munus sit episcopatibus adjunctum.

83. Hortandos episcopos Patres censuerunt, ut, ubi fieri poterit, in suis dioecesibus aliquos sacerdotes aetate, scientia, vitae integritate, et rerum agendarum peritia conspicuos seligant, quos Consultores constituant, et quorum sententias in administratione dioeceseos, cum opus fuerit, exquirant. Laudandam etiam censuerunt consuetudinem alicubi vigentem Consultores singulis saltem mensibus, die

determinato, convocandi, ut quae ad dioecesim pertinent discutiantur.

84. Visum est Patribus valde expedire, ut in unaquaque dioecesi Cancellariam statuat Ordinarius, pro faciliore rerum ecclesiasticarum administratione, et ad stabilem in iis negotiis agendi normam consequandam.

85. Consulendum episcopis, ut in suis quisque dioecesibus unum aut plures sacerdotes scientia theologiae insignes designent, qui examini subjiciant libros precum, aut aliter ad religionem pertinentes, priusquam ab Ordinario aut Vicario ejus generali approbatione fidelibus commendentur. Optandum etiam ut praxis aliorum quam Ordinarii loci ubi hujusmodi libri publici juris fiunt, approbationem petendi in desuetudinem abeat.

86. Ne sacerdotes vagi et ignoti nimis facile admittantur ad sacra munera obeunda cum animarum periculo, nolumus sacerdotes ex Europa advenientes in clerum nostrum cooptari, nisi litteris suorum episcoporum prius missis consensum episcopi in cujus dioecesim transire desiderant, obtinuerint.

87. Valde expedit districtus ecclesiasticos intra certos limites designare; necnon regulas de sacerdotum jurisdictione privilegiisque, Ordinarios, quamprimum fieri potest, sancire. Hos tamen districtus, secundum rerum adjuncta episcopi mutare possunt, et eorum est definire quarum ecclesiarum sacerdotibus haec munera pro tempore adnecti debeant.

88. Statuunt Patres in omnibus harum Provinciarum dioecesibus, post festa paschalia anni proxime

venturi 1853, banna matrimoniorum publicanda esse. Ordinarios vero hortantur ut ne hac in re, nisi gravissimis de causis, dispensent.

89. Moneant episcopi sacerdotes curam animarum exercentes, ut institutioni juventutis in doctrina christiana per se operam dent, nec putent ipsis licere quae sui muneris sunt negligere, rejecto omnino in alios onere juvenes, aliosque rudes, fidei morumque principia edocendi.

90. Hortamur episcopos, et attentis gravissimis malis quae ex juventute haud rite instituta sequi solent, per viscera misericordiae Dei obsecramus, ut scholas unicuique ecclesiae in eorum dioecesibus annexas, instituendas curent; et si opus fuerit, et rerum adjuncta sinant, provideant ut ex redditibus ecclesiae cui schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur.

91. Consulendum episcopis, qui propria seminaria non habent, ut collatis consiliis cum aliis episcopis ejusdem provinciae, unum saltem seminarium in unaquaque provincia constituant.

92. Patres censuerunt omnino expedire, ut juxta mentem concilii Tridentini (Sess. XXII, cap. 9, de Ref.) Ordinarius, aut per se, aut per sacerdotem, cui hac in parte vices suas committat, ab administratoribus rerum ecclesiae temporalium, sive laicis, sive clericis, rationem eorum administrationis singulis annis exigat.

93. Quoniam quae Deo sunt donata in cultum

divinum et opera charitatis, in Ecclesiae transeunt potestatem, cujus est invigilare ut donatorum pia voluntas fideliter impleatur, ideoque sacris canonibus a laicorum usurpatione saepius vindicata sunt; districte vetamus ne laici sese ingerant iis administrandis absque episcoporum libero consensu. Quod si eorum injussu eas usurpent, et ad suos usus divertant, vel alia quacumque ratione donatorum voluntatem frustrentur et fraudent, vel quae fidei et curae episcoporum commissa sunt, ex eorum manibus eripere, etiam legis praesidio, conentur, eos poenis a Tridentinis Patribus irrogatis rerum Ecclesiae usurpatoribus (Sess. XXII, cap. 11, de Ref.) ipso facto subjacere decernimus, et delaramus.

94. Monemus sacerdotes qui ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne aedituos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberae earum administrationi impedimentum aliquod nascatur.

95. Statuunt Patres ritus sacros pro benedictione SS. Sacramenti, in Caeremoniali et Manuali jam praescriptos, ab omnibus in hisce Foederatis Provinciis stricte esse observandos.

96. Cum sapientissimo consilio per leges ac statuta harum Rerumpublicarum cautum sit, ne potestas secularis ullum usurpet jus sese in rebus sacris immiscendi, meminerint episcopi, quo maxime possunt studio apud Auctoritatem civilem laborandum, prudenter tamen, prout Dominus suggesserit, ne unquam catholici, qui vel militiae vel classi ad-

scripti sunt, cultui acatholicorum contra suam conscientiam adesse cogantur.

97. Hortantur Patres ut ubique per hasce Provincias pia ad propagandam fidem Societas extendatur ac promoveatur, quae in Galliis cum tanto religionis profectu existit.

98. Commendamus fidelibus ut societatem ineant, preces fundendi causa, ad acatholicorum omnium qui nobiscum versantur patriae necessitudine conjuncti conversionem, ut erroribus omnibus rejectis, uno ore glorificent Deum, in fidei unitatem concurrentes. Porro supplicandum Summo Pontifici duximus, ut indulgentiarum concessione foveat hoc pium studium, eas omnibus tribuens qui eum in finem preces fundunt.*

99. Quoniam gravissimae rationes a Patribus concilii primi Baltimorensis Provincialis allatae, dum a SSmo. Patre peterent ut pro baptizandis adultis ea in hisce Provinciis uti liceret forma quae in Rituali Romano pro baptismate parvulorum invenitur, adhuc vigent, immo in dies graviores evasurae videntur; statuunt Patres S. Sedi supplicandum esse, ut privilegium tunc ad viginti annos juxta Patrum preces concessum, nunc perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.†

100. Decretum (77) concilii Baltimorensis Pro-

---

* SSmus Dnus Noster Pius PP. IX petitioni superius expositae benigne annuit, atque indulgentias nonnullas in perpetuum concessit, die 5 Septembris 1852.

† Facultas adultos eadem ac parvulos forma baptizandi, ad quinque annos a die 26 Septembris 1852 prorogata est, ita ut interim episcopi paulatim ad observantiam ritus descripti pro adultorum baptismate in Rituali Romano accedere satagant.

vincialis VII intelligendum declaramus de iis qui temere conjunguntur coram praecone acatholico, contra leges ecclesiasticas quae vetant communionem in divinis cum haereticis, et usurpati muneris sacri agnitionem. Nolumus sacerdotes suam operam praestare iis quos noverint ministellum adituros, foederis matrimonialis iterandi causa, vel qui foedere sic inito, absque poenitentiae indiciis benedictionem sacerdotalem petunt.

INDEX ALPHABETICUS.

[Numeris in hoc Indice positis designantur Marginales Numeri.]

EXPICIT INDEX.

DECRETA

CONCILIORUM CINCINNATENSIS.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS I.

1. DECRETA omnia Conciliorum Baltimorensium hactenus lata ac a Sede Apostolica approbata recipimus, eaque vim legis in nostra Provincia habere statuimus.

2. Censuerunt Patres supplicandam esse Sanctam Sedem ut Illmus ac Rmus D. D. Fridericus Baraga, Vicarius Apostolicus Amyzoniensis, in Michigan Superiori, Episcopus Ordinarius nominetur eique titulus Ep. Sanctae Mariae ex oppido vulgo *Saut Ste Marie* dicto assignetur.

3. Censuerunt quoque Patres supplicandam Sanctam Sedem ut nova Dioecesis cui titulus *Wayne–Castrensis* in oppido in Indiana septentrionali Fort Wayne per partitionem Dioeceseos Vincennopolitanae erigatur, cujus limites in parte meridionali sint Comitatus Fountain, Montgomery, Boone, Hamilton, Madison, Delaware, Randolph, et Warren, qui in nova Dioecesi includantur.

4. Juxta S. S. Concilii Tridentini monita (S. S. XXIV. C. C. IV. V. VII. VIII. XIV.) curent Episcopi ut nullos ad sacros Ordines promoveant nisi eos qui, rite examinati, vel ab ipsis Episcopis, vel a sacerdotibus divinae legis peritis sibi adscitis, doctrina, probitate, atque omnibus dotibus quae requiruntur a sanctionibus canonicis instructi inveniantur, neminique munus confessiones excipiendi commitant nisi praemisso ad hoc speciali examine, toties etiam renovando quoties cuique Ordinario necessarium videbitur.

5. Cum valde in votis habeamus ut in omnibus Nostrae Provinciae sacerdotibus scientia rerum Divinarum nequaquam e mente labatur vel parvi aestimetur, sed potius in dies augeatur, enixe hortamur ut collationes de argumentis Theologicis fiant inter sacerdotes, quoties per distantiam locorum, aliaque rerum adjuncta, judicio Ordinarii opportunae vel factu possibiles videantur.

6. Cum innotuisset Patribus deesse in plerisque Seminariis Dioecesanis tum copiam, quæ decet magistrorum, tum numerum alumnorum ad alendam aemulationem in studiis scientiae et pietatis necessarium, placuit omnibus Seminarium commune pro universa Provincia instituere, Seminariis Dioecesanis tamen minime sublatis; aedemque Seminarii Sanctae Mariae ad montem prope urbem Cincinnatensem munificentissime, a Rmo ac Illmo D. D. Archiepiscopo Cincinnatensi oblatam, eligere in situm novi instituti.

7. Perpensis quoque incrementis, quae exinde sacrarum rerum scientia, atque decore quem Catholica Religio in his regionibus caperet, censuerunt omnes supplicandam esse Sanctam Sedem ut, ex sua dignatione hoc Seminarium Provinciale aliquo modo Collegium Pontificium fieret, quatenus per auctoritatem Apostolicam facultate conferendi gradus Philosophiae et Theologiae, atque exigendi ab alumnis, post sex mensium probationem, juramentum manendi in propria Missione in ejusmodi Collegiis consuetum, decoraretur.

8. Ut autem ad studia Philosophiae et Theologiae adolescentes hujus Provinciae, statui, Ecclesiastico sese devoventes, rite praeparentur placuit omnibus, Seminarium ad Sanctum Thomam in Dioecesi Ludovicopolitana, ad hoc munificentia Illmi ac Rmi D. D. Spalding oblatum, Seminarium praeparatorium totius Provinciae, eligere.

9. Omnes hujus Provinciae sacerdotes, vehementer, hortamur ut quovis anno exercitia spiritualia juxta methodum S. Ignatii devote peragant curentque Ordinarii, commodum pastoribus praebere, unde ad renovandum mentis suae spiritum, omnes ad eumdem locum convenire possint quotannis, vel biennio, vel quoties factu possibile ipsis visum fuerit.

10. Morem gerentes monito S. C. de Propaganda Fide opportunum esse duxerunt Patres, supplicari Sanctae Sedi, ut dignetur rationem uniformem sancire, qua Episcopi hujus Provinciae ad onera muneris sui sustinenda subsidiis ex Ecclesiis propriae jurisdictionis juventur.

11. Ut incommodis et scandalis ex incauta et improvida acceptatione a sacerdotibus pecuniae mutuo datae finem imponamus, statuimus monendos esse sacerdotes ne in posterum, pecunias mutuo, seu in depositum, uti dicitur, proprio nomine accipiant, nisi casu quo, ex judicio Ordinarii, causa pietatis, aedificandarum Ecclesiarum, hoc exigeret, in quo casu approbatio Ordinarii scriptis obtinenda est, ipsique tradendum instrumentum, seu scheda, continens, expositionem finis intenti, summae requisitae, et rationem qua debita sic contracta sive ex Ecclesia ipsa, sive ex fundo quocunque, sive tandem ex quibusdam determinatis fidelibus, solvi poterunt: clare etiam exponere debent sacerdotes, quibus concessa est haec facultas, omnibus mutuatoribus Ordinarium Dioeceseos nullam omnino obligationem contrahere hujusmodi debita persolvendi.

12. Concilii Baltimorensis III. decreto inhaerentes mo-

nemus Episcopos ut, in Prima Synodo Dioecesana collatis cum sacerdotibns consiliis modum constituant, quo Missionarii infirmi vel alias impediti, sustentari possint, ne cum ordinis sui dedecore mendicare vel egestatem pati cogantur.

13. Ne sacerdotes, neglectis sacris muneribus sese implicent saecularibus negotiis atque tentationibus sese exponant, ipsos moneant Episcopi ut nullatenus artem medicinae stipendii causa exerceant, sin autem nonnunquam, deficiente medico, et urgente erga proximum charitate, consilium vel medicinam aegrotis porrigant, id praes'ent gratis omnino sine ulla solutione quocunque titulo. (Vide Appendicem.)

14. Pastores animarum iterum iterumque monemus ut summa ope nitantur pueros et puellas sibi creditos avertere ab iis scholis frequentandis, quas sine gravi fidei morumque periculo adire nequeant: simulque parentes hortamur ut scholas parochiales et alias, quae regimini catholico submittuntur, congruis subsidiis adjuvent atque sustentent.

15. Cum luctuosa experientia constet numerum personarum miserabilium quotidie apud nos augeri, praecipue puerorum puellarumque a parentibus inhumanis expositorum, nec non aegrotorum, qui in Xenodochiis publicis languent, item mutorum surdorum coecorum in domibus publicis, quibus vix admittuntur sacerdotes, vehementer in Domino hortamur Episcopos, ut domicilia catholica, orphanotrophia et valetudinaria in Dioecesibus suis erigere satagant, ubi hujusmodi pauperes Christi foveantur.

16. Statuerunt Patres, Missionarios, qui titulo missionis ordinati ab una ad aliam transeunt Dioecesim, cum a proprio Episcopo fuerint dimissi et ab alio accepti, juramento serviendi Missionibus, quibus deputabuntur in nova Dioecesi sese obstringere debere, ne titulo omnino careant. (Vide Appendicem.)

17. Placuit Patribus supplicationem ad Sanctam Sedem dirigere ut declaratio S. C. fiat unde judicare possint de iis sacerdotibus qui ordinati in aliquo Ordine Religioso titulo paupertatis, et deinceps, ordine dimisso, Missionibus se addicere volunt, utrum nempe titulus praedictus sit amissus aliusque sufficiendus, jurejurando emisso, antequam ad sacra exercenda admittantur; itemque quid agendum de iis, qui titulo aliquo canonico ordinati in patria, nostris Missionibus interesse volunt, num hi etiam juramentum praestare cogendi sint?

18. Cum neminem lateat quanto cum studio fructuque animarum curam egerint Collegiaque regenda susceperint, viri religiosi diversorum Ordinum in hac Provincia, et quanto cum scandalo et religionis detrimento Missiones et instituta ipsis commissa insciis, seu invitis, Ordinariis locorum relinquerent et alias se transferrent, haud inopportunum esse censuere Patres, quae bona sunt firmare, quae autem mala evertere providentes, in mentem omnibus revocare Decretum Summi Pontifices Bonifacii VIII. (De excessibus Praelatorum Tit. VI. Caput unicum,) et S. C. de Propaganda Fide die 3 Junii, 1822, a Summo Pont. Pio VII. die 21 Julii, ejusdem anni approbatum, ex quibus constat societates religiosas a conventionibus cum Episcopis initis resilire non posse nec pastores et rectores religiosos ab Ecclesiis et locis quibus praepositi sunt a superioribus suis removeri, nisi iis alii societatum sodales, cum consensu Ordinarii, subrogentur. His sapientissimis summorum Pontificum Decretis omnes morem gerere obsequiumque praestare in Domino monemus.

19. Voluerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Cincinnati Dominica quarta post Pascha anno 1858.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS II.

20. STATUERUNT Patres Decreta Concilii Provincialis Cincinnatensis I., nuper a Sancta Sede Apostolicat approbata, nec non decreta omnia octo priorum Baltimorensium Conciliorum, pariter a S. Sede sancita, et in eodem concilio Cincinnatensi solemniter recepta, quam primum in omnibus hujus Provinciae Dioecesibus, veluti leges Ecclesiasticas, promulganda esse.

21. Statuerunt Patres omnes hujus Provinciae Pastores monendos esse de obligatione qua per canonicam Ecclesiae disciplinam, tenentur quam primum post Feriam V. in Coena Domini, nova olea sancta obtinere iisque uti in Benedictione Fontis Baptismalis et in Sacramentis administrandis, veteribus in Lampade coram SS. Sacramento reverenter combustis.

22. Cum constat in nostra Provincia conscientiam Confessariorum multum angi, eo quod satis compertum non fuerit quorumnam Ordinum Religiosorum vota solemnia vel simplicia habenda sint; statuerunt Patres supplicandam esse S. Sedem: ut aliquid Auctoritate Apostolica constituatur, unde ejusmodi dubia tollantur.

23. Ut certa quaedam norma hac in Provincia statuatur pro fundationibus Missarum quas pietas Fidelium non raro postulat, censuerunt Patres ejusmodi fundationes, maxime quando sunt perpetuae, cum magna cautela ob peculiaria in quibus versamur rerum adjuncta, et nonnisi in casibus specialiter ab Ordinario approbandis, esse admittendas; ea etiam ratione, ut pro Missa Privata fundum saltem quinquaginta scutatorum, pro Cantata vero, centum

scutatorum prius existat, curante quoque Ordinario ut conditiones Fundationum adamussim adimpleantur.

24. Promoventibus RR. DD. Episcopis Vincennepolitano et Wayne–Castrensi, in quorum Dioecesibus quatuor tantum Festa de Praecepto existunt, censuerunt Patres supplicandam esse Sanctam Sedem ut in his Dioecesibus disciplina universalis Ecclesiae Auctoritate Apostolica statuatur, quatenus in posterum Festa Circumcisionis, Epiphaniae D. N. J. C. Corporis Domini et Annuntiationis B. M. V. de Praecepto a Sede Apostolica ibi declarentur.

25. Censuerunt Patres omnes Pastores animarum sub gravi teneri scholam Catholicam in unaquaque paroecia seu congregatione, sibi subdita, ubi hoc fieri potest, providere; atque ut singulis Ordinariis constet, quaenam sint Paroeciae in quibus haec obligatio existit, statuerunt ad praxim revocandam esse Legem Tridentinam S. XXII. C. IX. qua jubentur Rectores Ecclesiastici quotannis rationem exactam Ordinariis reddere omnium proventuum quocumque modo Ecclesiis provenientium, quam proinde Rectoribus supradictis observandam districte jusserunt.

26. Placuit Patribus eam formulam, in celebratione matrimoniorum mixtorum, adhibendam esse quae ab Emno. Praef. S. C. de P. F. Episcopis Foederatorum Statuum est proposita, ampliori ratione tamen juxta vetus Rituale Balt. et morem patrium expressa.

27. Cum Provinciae hujus Metropolitanae satis compertum non fuerit quid sibi agendum esset, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam et mentem Sedis Apostolicae, in casibus appellationum a suffraganeorum judicio, quae non raro ipsi deferuntur tam a laicis quam a clericis, statuerunt Patres supplicandam esse Sanctam Sedem pro instructione, hac super re, ut scilicet certe innotescat, utrum, et in quibus casibus (salvo semper jure communi appellan-

di directe ad Sedem Romanam) ejusmodi appellationes sint recipiendae.

28. Quandoquidem luce clarius facta demonstraverunt fructus uberimos ex Sacris Missionibus in hac Provincia provenisse, statuerunt Patres omnia media adhibenda esse ut illae in unaquaque Dioecesi stabili aliqua ratione provideantur.

29. Cum plures jam in hac Provincia existant inter Juvenes Catholicos confraternitates tum ad pietatem fovendam, tum ad litteras excolendas, placuit Patribus eas potius approbare et juventuti Catholicae commendare quae stricto nomine piae vocantur, quaeque a Sede Apostolica sunt probatae et indulgentiis auctae; ceteris non quidem sublatis, sed ad pia studia et praxes devotas adhortatis.

30. Placuit Patribus Societatem sanctae Infantiae Jesu adeo a SS. D. N. Pio PP. IX. in Brevi Apostolico die XVIII. Julii Anno 1856 dato, commendatam et alias indulgentiis auctam, in omnibus hujus Provinciae Diocoesibus in quantum per rerum adjunctafieri poterit instituere, et totis viribus fovere.

31. Enixe studeant Pastores ut parentes sub eorum cura existentes pueros suos qui ad annos discretionis pervenerint ad sacram synaxim et sacramentum Confirmationis solerter praeperent; et ad hunc finem obtinendum saepius in anno, praesertim tempore Paschali appropinquanti, populum publice in Ecclesia moneant, de hoc gravissimo officio, quod qui non adimpleverint parentes extra viam salutis procul dubio existunt, atque sunt proinde a Sacramentis arcendi; curent quoque ut quotannis Ordinarios certiores faciant de numero eorum, qui, anno elapso, prima vice ad sacra mysteria admissi sunt.

32. Placuit Patribus ut Tertium hujus Provinciae

Concilium conveniat in Cincinnati, Dominica quarta Post Pascha, anno 1861.

DECRETA

CONCILII PROVINCIALIS III.

A Die 29. *Aprilis ad Diem* 5. *Maii Anni* 1861.

33. Ut novi, ne dicamus profani arceantur canendi modi a Dei templis, statuimus, valde commendandam esse, et ubicumque id possibile fuerit in usum deducendam, praxim tradendi in Scholis parochialibus disciplinas Musicae Gregorianae atque pueros instructos adhibendi in divinis officiis celebrandis.

34. Omnibus Pastoribus animarum injungimus in Domino, ut saltem quater in anno, atque, per quantum fieri potest, in Quatuor Temporibus, omnes pueros sub eorum cura pastorali constitutos, qui nondum ad sacram synaxim admissi sint, in unum colligant et per aliquot dies diligenter Doctrinam Christianam edoceant, confessiones omuinm, qui ad septennium pervenerint, audiant, atque eos qui duodecimum annum incoeperint ad primam communionem omni diligentia disponant.

35. Ad oppugnanda fere infinita mala, quae ex operosa et universali librorum acatholicorum diffusione exoriuntur, decreverunt Patres ineundam esse Societatem pro diffusione et excussione librorum catholicorum, quae ex omnibus Episcopis Provinciae sub praesidentia Illmi. ac. Rmi. Metropolitani constet, quaeque per commissionem optatum finem assequi satagat.

36. Ad tollenda fere innumera in bonorum ecclesiasticorum administratione incommoda placuit Patribus hanc normam in quavis Paroecia, vel quasi Paroecia, quatenus fieri poterit, observandam. Ubicumque existunt bona Ecclesiastica sive in Ecclesiae fabricis sive in scholis sive in collectis in pios usus factis, ea omnia administrentur per commissionem, seu comitatum, ita constituendum ut Pastor sit Moderator ex officio: ut quatuor, vel octo, laici prudentes et pii, qui obligationi Paschali satisfecerint a Pastore nominentur ab Ordinario approbandi, ex quibus populus duos vel quatuor seligat, si velit, sin minus, seligat Pastor, qui cum pastore consilium administrationis constituent his restrictionibus circumscriptum: quod 1. nunquam nova in schola, aut ecclesia, moliantur quae requirent plus quam centum scutata, sine licentia Ordinarii in scriptis obtinenda: 2. nunquam talem licentiam petant nisi obtenta jam, vel subscripta, majori parte summae ad opus conficiendum necessariae; et quotannis scriptis rationem plenam et exactam administrationis suae Ordinario reddant.

DECRETUM VII. CONCILII NEO-EBORACENSIS HABITI ANNA 1861 MENSE JUNII.

Quandoquidem hominum et temporum inconstantia ac mobilitate eo res adduci possunt, ut necessitas sese ingerat in unam vel alteram Provinciae Nostrae Dioecesium, laicos aliquos probatos seu Aedituos, Parocho adjungendi visum est Patribus praescriptionibus ac Declarationibus inhaerendo ab Ap. Sede saepius editis, praesertim vero a Summis Pontificibus Pio VII. ac Leone XII. in suis Literis "*Non sine magno*" diei 3. Aprilis 1823 et "*Quo longius*" diei 16. Aug. 1828, regulas quasdam mature compingere, quae normam praebeant ac veluti formam tum Aedituos eligendi, tum eorum acta moderandi. Sunt vero hujusmodi.

I. Ut ne ille Aedituorum numero adsciscatur, de quo sub ipsam electionem, vel paulo ante constiterit, eum Societati cuivis Secretae nomen dedisse, vel Sacramenta Paschalia non suscepisse.

II. Probe intelligant Aeditui, nefas sibi omnino esse, vel minimam bonorum ecclesiae partem in suos usus quovis titulo vel praetextu traducere, nec in extraneos nisi de venia Episcopi, ac servatis Constitutionibus Apostolicis de rerum ecclesiasticarum alienatione.

III. Ordinariis sumptibus exceptis, ne liceat Aedituis pecuniae summam ultra 300 scutatos nummos in ullum peculiare opus erogare, nisi Episcopus de scripto assentiatur.

IV. Norint Aeditui penes Episcoporum arbitrium esse nominandi, et creandi Parochum Ecclesiae, eumque in officio detinendi, vel contra. Ipsius quoque Episcopi unice est certam nummorum summam Pastoribus animarum attribuere pro ipsorum sustentatione; neque liceat Aedituis stipendia hujusmodi retinere, vel imminuere, vel augere.

V. Pastoris est designare Organistam, Cantores, Sacristam, Custodem, seu Apparitorem, Ludimagistrum (si qua schola in paroecia existet) et hujus generis homines alios qui altari inserviant.

VII. Caveant Aeditui, ne Parocho inconsulto, quidpiam tamquam legem aut normam Parochianis ipsi praefiniant. Si qua porro discrepantia Pastorem inter et Aedituos de rebus gerendis conferentes exoriatur, nec dissentionem componere ipsi per se valeant, controversiam dirimat Episcopus, cujus judicio et sententiae parebunt omnes.

37. Decreverunt Patres exigendum esse ab omnibus alumnis seminariorum, infra sex menses post incoeptam Philosophiam, seriam promissionem juxta normam collegiorum Pontificiorum eos nempe constitutiones seminarii ob-

servaturos, ordines sacros suscepturos, quando superioribus visum fuerit, confectisque studiis, in propria Dioecesi ad nutum Ordinarii in divinis exercendis perpetuo mansuros. Insuper statuerunt ab iisdem, exigendam esse eodem tempore promissionem scriptis exaratam, se proprio Ordinario totam pecuniae summam, eorum educatione expensam, restituturos, si qua a suscipiendis ordinibus resilierint.

38. Quoniam ad Sanctissimae Eucharistiae majorem venerationem confert, ne passim et sine causa publicae fidelium adorationi exponatur nec licet regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, Sanctissimum illud Sacramentum publice adorandum exponere nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; et quoniam in re adeo gravi uniformitas summopere est desideranda, statuimus, ut nonnisi singulis diebus Dominicis et Festis de praecepto, sicut in festo principalis Patroni Ecclesiae, post Missam, vel post Vesperas, exponatur et benedictio cum eo detur, sed semel tantum in eadam die in omnibus Ecclesiis hujus Provinciae et in Sacellis Monasteriorum vel Communitatum religiosarum. Licebit insuper illud Augustissimum Sacramentum similiter exponere et cum eo Benedictionem dare bis in hebdomade, tempore Quadragesimali, et singulis diebus infra Octavam Corporis Christi, singulis diebus dum publice dantur missiones, in Festo SS. Cordis Jesu, et ubicumque fit devotio pia dicta "Quarantore." Illud autem haud exponendum dum Missa celebratur vel Vesperae cantantur censemus nisi in Festo Corporis Christi vel per ejus Octavam, et nisi Missa sit solemnis. Simul monemus esse ad rigorem observandum decretum Concilii Baltimorensis VI. quo statuitur ritus sacros pro Benedictione SS. Sac. in Coerimoniali et Manuali jam praescriptos, ab omnibus esse stricte observandos.

39. Ut finem imponamus iis abusibus, quos irrepsisse interdum novimus ex nimia facilitate et defectu solemnita-

tis in admissione neo-conversorum haereticorum ad fidem, jubemus sacerdotes ea omnia adamussim observare, quae praescribuntur in Instructione et forma a Sacra Congregatione Sancti Officii die 20. Julii 1859 data.

40. Juxta mandatum Sanctae Sedis Apostolicae die X. Martii A. D. 1861 Episcopis datum monemus omnes hujus Provinciae sacerdotes, ut cautelam maximam adhibeant circa qualitatem vini quo in sacrosancto Missae Sacrificio utuntur, caveantque ne unquam illud admittant de quo prudens dubium existit an sit artefactum. Adhortamur quoque eos ut ab ipsis cultoribus vitis, notae probitatis viris, ubi fieri poterit, vinum obtinere satagant.

41. Meminerint sacerdotes sanctitatis vocationis suae et sciant juxta juris canonici Sanctiones iis vetitum omnino esse ingressum in cauponas, tabernas, popinas vel hortos publicos manducandi aut bibendi causa, extra casum necessitatis vel in peregrinatione: theatra esse Dei ministris prorsus interdicta, et similiter prohibitam iis esse suspectam cum mulieribus conversationem et in eadem domo commorationem.

42. Ut quod sapientissime praescribit Rubrica Missalis Romani ubique stricte observetur, jusserunt Patres, Aspersionem solemnem aquae benedictae singulis Dominicis diebus in ecclesiis parochialibus ante Missam Principalem semper esse peragendam, quando Episcopus solemniter non celebrat.

43. Enixe adhortamur omnes hujusce Provinciae Pastores, ut totis viribus studeant observare antiquissimum et piisimum morem exequias defunctorum mane peragendi cum Missa *de Requiem*, praesente cadavere; simulque ut graviter et acriter exprobrent omnem luxum profanum et inanem pompam in funeribus fidelium.

44. Caveant sacerdotes ne in praedicando verbo divino aut in administrando sacramento poenitentiae, dum abusus ac scandala apostolica libertate assectantur, leges arbitrarias inducant ea repraesentantes velut lethalia et mortifera peccata, quae judicio canonistarum et moralistarum non sunt nisi levia vel nulla; ut ex. gr. quidam ornatus muliebres, convivia festiva et alia hujusmodi.


CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX8351822.A21865 C001
STATUTA DIOCESANA AB ILLUSTRISSIMO ET RE
3 0311 00056 3259